



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Bonus Augustæ successus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Et quaedam
germanice
versit.*

*Inchoat Augu-
sta ordinarias
conciones.*

*Multiplax eius
labor.*

1560.

*Bonus Augu-
sta successus.*

aduersus Brentium scripta Cardinalis Hofij, quae
ornatiora, & absolutiora emitterentur in lucem
& alia eius opuscula germanice vertit. Dicentis
felicis auspiciū posuit ex Augustano Ambon
beati Ioannis Baptistae natali die; continenterque
deinceps maiore cum approbatione, frequenter
ac fructu auditus est. Paulò post praeter explan
tionem euangelicam, ita temperare coepit discip
tationes, vt in singulis de Decalogi praecipis dis
fereret. Nec solum ad obseruanda ea cohortatur,
sed etiam quid quaeque postularent officij
commodate ad popularem captum enucleatim
Accedebant, & aliae subinde curae: longoque tem
pore binas quotidie horas impendit ad recog
scendum Augustanae Ecclesiae Breuiarium: quod
multos iam annos eius exempla desiderabat. Ne
ab Societatis administratione tempore vlllo cess
sabat. Anno iam praecipiti Monachium excurrit
Collegijque res, quod in ea vrbe continuo est in
choatum, ab se se informatas Nicolao Lanoni
componendas, Fratrique suo Theodorico, qui pri
mus Rector Collegij fuit, perficiendas reliquit.
Annus inde eius seculi sexagesimus auxit ma
gnoperè Augustanae concionis frequentiam, &

facri Oratoris ad populum Caritatem: vt dum ali-
bi circa per Germaniæ terras religio maioribus in-
dies detrimentis afficitur, contra videretur Augu-
stæ incrementa non pœnitenda capere. Multi e-
nim, quorum Deus per salubrem Catuli sui lin-
guam tetigerat corda, veritate agnita deseruerunt
errores. Maior ante eam diem nunquam fuerat
numerus, qui Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacra-
menta bono vsurparent ritu. Ac messis longe ex-
titisset vberior, nisi complures pudendus planè
pudor à Catholicis cœtibus absterreret, vt qui va-
nissimorum hominum inanes magis formida-
bant rumusculos, quam solidam à Deo gloriam
cuperent. Ita miseros ab audiendo verbo vitæ,
quod salutem afferre perditis animis posset Tar-
tareus veterator arcebat. Expeditiores mox ali-
quanto res fecit post Pauli Quarti Pontificis ex-
cessum Ferdinandi Cæsaris cum Pio Quarto con-
sensus: ad quem etiam Pontifex legatum misit
Varmiensem Episcopum, quem & Cardinalem
subinde creauit Stanislaum Hosium. Is gnarus
quanta apud Cæsarem autoritas, quanta rerum
Germanicarum notitia esset Canisio, vehemen-
ter ab Lainio postulauit, vt aliquandiu sibi, ad

*Mittitur in
Austriam*